

perata. De operationibus verò alijs, quas mediantibus organis corporeis animæ hic exercent, utpote per tactum, gustum, & alios sensus, præstat ἐπιχρησιν, cum scriptura hac in parte nihil nobis revelaverit.

Objectio: Heb. II. v. 13. dicitur, Patres V. T. nondum promissionem accepisse, ne absque nobis perficiantur.

Resp. Utiq; perfectionem extremam isti patres V. T. nondum acceperunt, nam resurrectionem expectant, non tamen propterea extra conspectum Dei, quasi consopiti jacent.

QVÆST. XVI.

*Utrum animæ beatorum, postquam corporibus excesserunt, ad visionem Dei admittantur, an verò ab ea usq; ad extremum iudicium arceantur?*

Pontificij multi statuerunt animas arceri à visione Dei, & in suis Cryptis, & receptaculis detineri. Videatur Guilh. Occam, in opere 93. dierum. Marsilius in 4. sent. quæst. 13. art. 3. Iohann. Gerson in sermone de Pascha Tom. 2. fol. 42. Imò Pontifex Iohann. 12. Parisiensibus mandavit Theologis, ne aliter docerent, nullumque ad gradum Doctoris promoverent, nisi priùs sententiam illam de animabus visione Dei carentibus approbârit. Et Patres non pauci hunc errorem fovent. Theophylactus Aretas, Victorinus Martyr, Bernhard. ferm. 4. de sanctis, disertè dicunt, animas post resurrectionem corporum ad visionem DEI demum admitti.

Sed 1. quæ esset beatitudo animarum, si Deum non viderent, ita animæ iustorum beatæ sunt, statim cum corpore egrediuntur, 2. Phil. 1. v. 23. Paulus ait: Cupio dissolvi & esse cum Christo, an verò cum Christo esse possunt, & Christum non videre. 3. Hoc modo animæ ante thronum Dei miseriores experiuntur conditionem, quam expertæ fuerunt in terra. Hic enim in verbo DEUM viderunt quasi per speculum. Illic autem longo tempore Deum planè non viderent?

4. Iustorum animæ in manu Dei sunt. Sap. 3. v. 1. Quomodo ergò Deum non viderent?

5. Sto.